



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Ecclesiasticorum Vita, Moribus, Officiis Libri Tres**

**Schevichavius, Gisbertus**

**Mogvntiae, Anno M.DC.XXI.**

Capvt XXXVII. Mvlti Lvxvriæ Scabie infecti Clerici.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42349**

reus in centium eribuat delinquendi, statuimus vt qui comprehensi fuerint incontinentia vitio laborare, prout magis aut minus peccauerint puniantur secundum Canonicas sanctiones, quas efficacius & districtius precipimus obseruari, vt quos diuinus timor à malo non reuocat, temporalis saltem poena cohibeat à peccato.

## CAPVT XXXVII.

MULTI LUXURIE SCABIE  
infecti Clerici.

§. **Q**uia hoc funestum luxuriæ incendium plurimos inflammauit Clericos & consumpsit, prouidendum sollicitè integris, ne eadem flamma corripiantur & amburantur. Spurcissimis istis sordibus inquinatissimi fuere sacerdotes Ophni & Phinees filii Heli, qui vt ait Scriptura, 1. Reg. 22. Dormiebant cum mulieribus, quæ obseruabant ad ostium tabernaculi, qui & pariter vno die miserimè trucidati sunt. 1. Reg. 4. versicul. undecimo.

§. Hanc mortiferam plagam suo tempore multis fuisse Ecclesiasticis inflictam lamentatur S. Cyprian. libro de Singularitate Clericorum. Tempus luctaminis, inquit, adhuc geritur, & mors per foeminam adhuc vsque grassatur. Mentior si non videamus exinde interitus plurimorum. Quanti & quales Episcopi & Clerici simul & Laici, post confessionem victoriarumque calcata certamina, post magnalia & signa vel mirabilia vsquequaque monstrata, noscuntur cum his omnibus naufragasse, cum volunt in nauis fragili nauigare? Quantos leones domuit vna muliebris infirmitas delioata, quæ cum sit vilis & misera de magnis efficit prædam? Quod Salomon loquitur dicens Prouerb. 6. v. 26. Pretium meretricis tantum est vnus panis, mulier autem pretiosas animas capit? Ante nos ista & nullis terroribus coercemur, quid faceremus si

Peteri legim  
desuere igni  
puri sacerdo  
265.

Episcopi &  
Clerici etiã  
post ebria  
martyria &  
edia signa  
corpisimè  
lapsi.

Famina fer  
tissimorum  
viro: um do  
mitrix.



opinionibus tantummodo gestas historias audiremus?

Muliercula  
rum fami-  
liaritas su-  
specta: quia  
sine ambu-  
stione non  
tractatur.  
ignis.

§. S. Hier. idem vitium in sui temporis Clericis exagitant epistol. 4. ad Rusticum Monachum c. 2. Videas, ait nonnullos accinctis renibus, pulla tunica, barba prolixa à mulieribus non posse discedere, sub eodem manere tecto, simul inire conuiuia: ancillas iuuenes habere in ministerio, & prater vocabulum nuptiarum omnia esse matrimonii. Et epistol. 22. ad Eustoch. c. 12. Sunt alii [de mei ordinis hominibus loquor] qui indeo presbyteratū & diaconatum ambiūt vt mulieres licentius videant. Omnis his cura de vestibus, si bene oleant, si pes, laxa pelle non folleat, crines calamistri vestigio rotantur: digiti de annulis radiant: & ne plantas humidior via spargat, vix imprimunt summa vestigia, tales cum videris, sponfos magis existimato quam Clericos. S. Greg. lib. 3. dialog. cap. 7. & c. 32.

§. S. Bern. Serm. de Conuerf. ad Clericos c. 29. queritur, quod ad Sacros ordines curāt, in quos dominetur & principatum teneat iniquitas & luxuria: Et non est alia causa cur tot extent Canones contra ecclesiasticorum incontinentiā, nisi quod ex malis moribus bonæ leges natæ sint.

§. Neq; mirum dissolutioris vitæ Clericos luxuria flagrare ardoribus, vt qui otio, comessatione, peroratione, muliercularum conversatione natura calori, tanq; ignem igni aut oleum camino addunt, atq; huic teterrimo vitio fomentum & quasi alimoniam vitio suppeditant, cum hæc impura lues etiā sanctissimos quosq; viros & mira austeritate corpus afflictares sibi subiugare tentarit. Id de S. Francisco tradit Bonaventura c. 5 in eius vita. De S. Benedict. Greg. l. 2. dialog. c. 2. De seipso S. Hier. epist. 4. ad Rusticum c. 6. & epist. 22. ad Eustoch. c. 3. De S. Antonio Athanas. in eius vita Patitur & stimulum carnis Apost. 2. Cor. 12. v. 7. & inuenit aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis sua. Rom. 7. v. 23.

CAPVT